

AD
A V D I E N D A M
O R A T I O N E M A N N I V E R S A R I A M

Q V A E
I N M E M O R I A M
V I R I
M A X I M E R E V E R E N D I E T A M P L I S S I M I
D O M I N I

M. CHRISTOPHORI
SEYFERTI

ECCLESIAE GOERLITIENSIVM IN LVSATIA
SVPERIORI QVONDAM PASTORIS ET ANTISTITIS
PRIMARI ET MERITISSIMI

DIE XIV. IVN. A. R. S. MDCCXXXII.

I N

A V D I T O R I O P H I L O S O P H O R V M

H A B E B I T V R

D E C E N T E R I N V I T A T

F A C V L T A T I S P H I L O S O P H I C A E

D E C A N V S

L. GOTTLOB FRIDERICVS IENICHEN P.P.

Hist. Saxon.

H.

102, 14

Sp. Magnif. G. D. Bodmann



VAM illustre conditorium et dormitorium Marchionum Misniae ac Landgrauiorum Thuringiae in CELLA VETERI, nobili olim Monachorum ordinis Cisterciensis coenobio, ad Muldam, non procul ab vrbe Friberga, sito, reperiatur, id tum aliunde, tum speciatim ex trium testium fide dignissimorum, nempe PAULI MARTINI SAGITTARII, CHRISTIANI SCHLEGELII et IO. IMMANVELIS MVLLERI, testimoniis constat. Prior enim, scilicet SAGITTARIUS, insignis historicus et Superintendens quondam ecclesiae Altenburgensis, dissertationem reliquit inter alia opera sua historica de *Locis sepulchralibus Sereniss. familiae Wittekindae*, iam anno MDCLXXV. typis Altenburgi impressam, et nunc b. IO. BURCARDI MENCKENII nostri, Polyhistoris Lipsiensis, *tomo II. Scriptorum Rerum Germanicarum*, p. 798. N. XVI. insertam, in qua nomina Marchionum Misniae et Landgrauiorum Thuringiae, in Cella illa Veteri sepulcorum, breuiter recenset. At SCHLEGELIUS, Antiquarius et Historiographus Saxonicus, sic dictum *Ἀποστολιμαίριον* edidit de *Cella Veteri ditiois ac dioeceseos Misnensis, in clyto quondam Cisterciensis Ordinis Monasterio, ac illustri Marchionum Misniae conditorio*, Dresdae Anno MDCCIII. in 4. typis excusum. Quibus duumuiris nunc merito adiungimus M. IO. IMMANVELEM MVLLERVM, Rosuinensem, bibliothecae quondam Academiae Lipsiensis custodem, qui opusculum aliquod MSCtum germanicum, sed nondum ad finem perductum, post obitum praematurum, penes nos reliquit, cui titulum fecit: *Alt-Zellisch Rosweinische Historie, darinnen das wegen der Marggräfl. Begräbnisse und derer gelehrten Obte, vormahls Meisnische Cistercienser Feld-Closter Cella, die dabey liegende Berg-Stadt Roswein, auch andre zum Kloster ohedem gehörige Dertter, aus Diplomaten, Alt-Zellischen MSCtis, Geschicht-Büchern und Documenten beschreiben werden.* Omnes tres hi testes Marchiones veteres Misniae et Landgrauios Thuringiae, vna cum coniugibus aut liberis quibusdam suis in CELLA VETERI sepultos, suo quisque ordine commemorant; hoc saltim cum discrimine, vt SAGITTARIUS primas lineas duxerit, et nomina saltim Marchionum et Landgrauiorum exhibeat; SCHLEGELIUS Annales duntaxat totius Monasterii Vetro-Cellensis, annotationibus quibusdam historicis illustratos, congesserit; at vero MVLLERVS integram historiam Monasterii huius laudatissimi, ad certa capita reuocatam, in prima parte opusculi sui MSti adornauerit et propemodum perfecit; simul vero in vitis Marchionum et Landgrauiorum, hic conditorum, lapsus Schlegelii aliorumque adnotauerit et emendauerit. Non abs re futurum existimamus, conspectum integrum partis primae opusculi huius MSti, qua de CELLA ipsa VETERI MVLLERVS tractat, heic exhibuisse. Diuisa est pars haec prima in VI. Sectiones; quibus tabula Marchionum Misniae et Landgrauiorum Thuringiae, in Cella Veteri maximam partem sepulcorum, praemittitur. Et Sect. I. quidem MVLLERVS coenobii huius illustris denominationem, situationem, fundationem et inaugurationem, ex antiquis diplomatibus, eruit et euoluit. Sectione II. de sacellis Marchionum et Ducum Misniae, vt et reliquis sacellis ibi exstructis olim, tractat. Sectione III. de epitaphiis illustribus, quae ibi adhuc visuntur, nec non de Marchionibus et Ducibus ibi conditis, quorum vitam et res memorabiles simul enarrat, pariter ac de reliquis personis illustribus et claris, ibidem sepultis, agit. Sectione IV. seriem Abbatum, qui huic coenobio praefuerunt, pariter ac alios eius Officiales, nec non Monachos celebriores enumerat. Sectione V. de Bibliotheca huius Mo-

nasterii, post reformationem Ecclesiae salutarem, gratia et iussu Mauriti, Ele-
 ctoris Saxoniae, Bibliothecae Academiae nostrae Paulinae insertae, speciatim
 vero de MSCtis eius, quae adhuc in Bibliotheca ista nostra publica adseruan-
 tur, quaedam docte commentatur. Tandem Sect. VI. Priuilegia huius coe-
 nobii quondam singularia enarrat, diplomatum, quae huc pertinent, com-
 paratione sedulo et diligenter instituta. Nos iam breuem Marchionum et
 Ducum Misniae, ac Landgrauiorum Thuringiae, in Cella Veteri sepulto-
 rum recensum, secundum catalogum et commemorationem MVLLERI, da-
 bimus, de vita vnus alteriusue alia occasione acturi. Nempe tamen FABRI-
 CIVS in Annal. Misn. p. 62. saltem VII. Principes illustres in Cella Veteri se-
 pultos tradat; at ALBINVS XX. personas illustres et SCHLEGELIVS
 XXVI. earum commemoret; SAGITTARIVS autem numerum eorum
 ad XXXI. extendat, vtpote quem SCHLEGELIVS XXVI. personis
 suis illustribus V. sequentes, scilicet *Iuttam*, Theoderici adflicti coniugem, in
 monasterio Vesserano conditam, *Theodericum*, Episcopum Numburgensem,
 Numburgi sepultum, *Conradum* Misnae dormientem, *Dietericum* denique et
Fridericum Tutta, Seufelzii cubantes, perperam addere existimat: MVL-
 LERO tamen contra XXVIII. personae illustres commemorantur, qua-
 rum cineres in cella illa veteri adhuc adseruari non dubitat. Sunt autem illae
 sequentes: I. OTTO, Marchio Misniae, cognomento Diues, ob argenti
 venas ditissimas, eius tempore circa cellam veterem et loca quaedam conter-
 mina detectas, fundator coenobii non minus ac conditorii illustris, in eo ex-
 structi, qui die 18. Febr. A. 1189. post natum Christum, diem suum supre-
 mum expleuit. II. HEDEWIG, vxor Ottonis diuitis et filia Alberti Vrsi,
 Electoris Brandenburgici ex Sophia Reineccensi, circa annum 1197. demor-
 tua. III. ALBERTVS, cognomine Superbus, filius Ottonis maior, qui
 die 24. Iunii, anno 1195. vita excessit. IV. SOPHIA, vxor Alberti super-
 bi, ex Friderico, duce Bohemiae, oriunda, quae maritum 24. Iulii eiusdem anni
 moriendo sequuta. V. DIETRICVS, vel etiam Theodoricus cognomine
 adflictus M. Ottonis diuitis filius natu minor, qui fratri, Alberto, in Marchionatu
 Misniae A. 1195. successit et vita functus est die 17. Febr. anno 1721. Patri ad
 latus positi sex liberi scil. VI. OTTO. VII. CONRADVS. VIII.
 IVTTA. IX. HEDEWIG. X. SOPHIA. et XI. HENRICVS
 illustris, item malleus dictus, alter Cellae fundator, qui iure haereditatis a
 patre Marchionatum Misniae anno 1221. a matre vero, IVTTA, Landgra-
 uiatum Thuringiae anno 1248. accepit, et vitam denique finiit anno 1287.
 XII. CONSTANTIA, Henrici illustris coniux prior, ex domo Austria-
 ca, die 7. Iulii anno 1243. morte extincta. XIII. AGNES, Henrici illu-
 stris coniux altera, et Ottocari, regis Bohemiae filia, quae d. 10. Octobr. an-
 no 1268. exspirauit. XIV. ELISABETHA, tertia Henrici illustris con-
 iux, ex gente Maltitzia. XV. FRIDERICVS, cognomine paruus, Hen-
 ricus illustris ex Elifabetha Maltitzia filius primus, qui naturae debitum soluit
 d. 25. Apr. anno 1316. XVI. HERMANNVS, dictus longus, Henrici
 illustris ex Elifabetha, tertia sua coniuge, filius secundus, anno 1304. de-
 mortuus. XVII. FRIDERICVS Tutta seu Balbus, Henrici illustris ex
 filio Dietrico, sapiente nepos, mortuus d. 16. Aug. anno 1291. XVIII. HEN-
 RICVS, Alberti degeneris filius, qui anno 1299. de vita exiit. XIX. HE-
 DEWIG, vxor Friderici sine terra. XX. FRIDERICVS sine terra, Al-
 berti degeneris ex Henrico nepos. XXI. AGNES, ex Carinthia, Frideri-
 ci admorfi, Marchionis Misniae et Landgrauii Thuringiae, vxor, quae an-
 no 1293. corporis exuuias deposuit. XXII. FRIDERICVS, Claudus,
 Friderici admorfi filius maior, quem ex Agnete suscepit, in oppugnatione

arcis Zwenckauiensis anno 1315. sagitta confixus. XXIII. FRIDERICVS, feuerus, Marchio Misniae et Landgravius Thuringiae, qui exstructo sacello Ducali in Cella Veteri die 2. Febr. anno 1349. mortalitatem deposuit, et XXIV. cum MECHTILDA, vxore, Ludouici Bauari, Imperatoris, filia, die 3. Iul. anno 1346. demortua, ibidem sepultus iacet. XXV. FRIDERICVS, strenuus, dominus Pliffae et vltimus Marchionum Misniae, Cellae sepultorum, qui, vbi Osterlandiam Misniae adiecerat, die 26. Maii anno 1381. fato succubuit. XXVI. CATHARINA, Friderici modo laudati vxor, et Henrici, Comitis Hennebergici filia, quae die 15. Iul. anno 1397. animam effluit. XVII. FRIDERICVS, Marchionis Friderici strenui et Catharinae filius, qui circa annum 1350. vitam cum morte commutauit. Et denique XXVIII. CATHARINA, eiusdem Friderici, strenui, filia, quae circa annum 1358. vitae fabulam clausit. Vt adeo SAGITTARIVS admodum fallat, quando hanc Catharinam anno 1397. morte extinctam memorat, et filiam cum matre confundit. Ab hoc tempore nemo amplius ex Marchionibus aut Ducibus Misniae in Cella sepultus, sed, postquam sepultura eorum ultra CC. annos ibi facta fuerat, conditorium nouum illustre Ducum Saxoniae primum Misnae et demum Fribergae exstructum fuit, idque tum quidem temporis, vbi Fridericus I. cognomine bellicosus, a Sigismundo, Imperatore, dignitatem Electoralem obtinuerat, quod in annum 1423. incidit. Hae sunt personae illustres ex recensu MVLLERI in Cella Veteri, propter Muldauiam olim sepultae, vbi Monasterium non minus ac Dormitorium pro se et Familia sua illustri, OTTO, diues, Marchio Misnensis, condere coepit anno 1162. idemque perfecit anno 1175. ceu, praeter MONACHVM PIRNENSEM et PETRVM ALBINVM, in Chronico Misnensi, testatur FAVSTVS in *Genealogica Saxonica*, qui p. 122. diserte scribit: *Orto ist ein Fundator des Fürstlichen Closters Cella, das er zu bauen angefangen anno 1162. und vollbracht anno 1175.* Nunc vero intimanda est solemnitas anniuersaria, qua memoria Maecenatis bonarum litterarum, et eorum, qui strenuam iis operam nauant, in hac Academia, eximii publico praeconio, est renouanda. Est is Vir ob pietatis infucatae amorem et fidei in religione Christiana vera amplectenda et tuenda constantiam venerabilis, **M. CHRISTOPHORVS SEYFERTVS**, ex Bohemia oriundus, et Ecclesiae Goerlitiensis Pastor et Antistes quondam primarius et merittissimus, cuius memoriam haut intermorituram, proximo Saturni die, statim post horam IX. matutinam, in acroaterio Philosophorum, oratione concinna, pia et gratae mentis teste, *de officiis eorum, qui stipendiis fruuntur*, concelebrabit Vir-iuuenis praestantissimus et ornatissimus, CHRISTIANVS KNAVTHIVS, Goerlitiensis, SS. Theologiae Cultor perindustrius, quod stipendio SEYFERTI liberali, bonis mentibus ab EO, liberorum nullorum germanorum parente, destinato, quoad fere in Academia nostra bonis literis incubuit, munifice fuerit subleuatus. Vos, rogamus decenter, **RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, COMITES ILLVSTRISSIMI, et CIVES** Academiae cuiusuis ordinis **HONORATISSIMI**, vt hunc tanto Maecenati bonarum litterarum honorem habeatis, et actum hunc Academicum praesentia vestra honorifica, ceu par est, condecoretis, quo beneficium beneficio cumuletur. PP. Festo Trin. anno post Christum natum
MDCCXXXII.

L I P S I A E

LITERIS IO. CHRISTIANI LANGENHEMII.